

dum est eos esse ritus sacros, illudque eos praestare quod divina revelatio docet, eosque esse ex divina institutione adhibendos et necessarios in Ecclesia Dei: ergo.

B) Oportet autem, ut diximus, hanc unitatem rationem sui in ipso coetu habere per quam stabilitas et perennitas eiusdem unitatis efficiatur. Si enim id desit, fieri quidem poterit ut identidem omnes in idem conveniant, sed id erit per accidens non per se, ex mutabili hominum arbitrio non ex vi ipsius coetus religiosi. Ideoque non esset Ecclesia in hac hypothese coetus per se unus unitate sacrorum; et sic neque esset per se coetus cui nomen Ecclesiae competat: nam si per se non haberet unitatem sacrorum, fieri per se posset ut ritibus omnibus careret quibus eum auctor ipsius voluit esse religiosum; ideoque per se non esset, sed solum forte per accidens coetus religiosus: si autem per se non est coetus religiosus, iam nullus est coetus qui mereatur dici Ecclesia. Iam vero Christus in Ecclesia sua principium posuit unitatis perennis sacrorum, et sic voluit utramque unitatem materialem et formalem, ut decebat. Posuit scilicet ministerium ab Apostolis inchoatum in successores eorum iugiter continuandum, cui custodia et administratio sacrorum infallibilis commissa est. Ut proinde communicare quidem debeant fideles sacris, sed ea accipiendo ab iis vel sub eorum directione quos Christus sacrorum ministros instituit. Haec patent ex ipsa institutione ministerii, qua Christus Ecclesiam suam fundavit. Huc spectat doctrina Ignatii in omnibus suis epistolis. Hinc libri liturgici et rituales ab Ecclesiastica auctoritate editi ab antiquis quoque temporibus, quibus sacrorum administratio regeatur: ergo.

§. XXIII.

Ex demonstratis colligitur haereticos, schismaticos, excommunicatos, atque etiam catechumenos non esse actu membra Ecclesiae.

1. Praestituendum est initio posse eum, qui in Ecclesia est, separari ab ea ita ut amplius connumerandus non sit membris eius. Id constat ex ipso communi conceptu societatis, a qua quis sponte vel coacte separari potest separatione totali. Cum praesertim Ecclesia sit societas ad quam obligantur quidem homines, at lege; unde voluntarie ad eam convenire debent, et voluntarie permanere. Est ergo in potestate hominum abrumpere vinculum unionis, et se ab Ecclesia separare. Est etiam in potestate societatis rebelles prorsus a se abicere. Idque semper in Ecclesia retentum est ac suppositum in quavis controversia cum haereticis et schismaticis, eorumque

proscriptione, ut deinceps patebit. Porro ut quis membrum Ecclesiae sit debet cum corpore coniungi per ea vincula, quibus unitas corporis necessario constituitur. Nec satis est quod Ecclesiae quomodolibet subsit potestati; nam et qui sunt alieni a quadam societate, possunt esse subiecti, licet inviti, potestati eiusdem; e. g. qui bello sunt victi; neque satis est quod certis in adiunctis iurisdictionem per modum actus transeuntis ab ecclesia quis recipiat in subditos eius; nam in bonum subditorum potest Princeps cuivis extraneo potestatem facere exercendi id quod utile sit subditis suis: quemadmodum et Christus fecit potestatem cuivis homini administrandi valide baptismum, etsi non sit in corpore suo. Scilicet aliud est reali aliqua relatione subordinationis aut dependentiae cum Ecclesia necti, aliud est esse membrum eius; id enim postulat unitatis vinculo cum eius corpore cohaerere. Rursus distinguenda est obligatio unionis cum Ecclesia qua quis teneatur et ius quod Ecclesia habeat ut quis sit ipsi unitus, ab actuali unionem; potest enim illud utrumque esse sine hoc. Porro nos loquimur de actuali unionem. Iam vero vinculum necessarium unitatis Ecclesiae triplex est, regimen, fides, sacra; triplex enim unitas, socialis, symbolica, ritualis est necessaria et essentialis Ecclesiae (§. praec.).

II. Haereticus est qui fidem susceptam abiicit, sive unum articulum sive omnes neget. Duplex distingui debet, occultus et publicus. Occultus iterum duplex distinguitur, scilicet is qui haeresim mente continet nec ullis exterioribus signis exprimit; et is qui exprimit quidem, sed nemine praesente aut sciente, ille *occultus per se* dicitur, hic *per accidens*. Publicus est qui haeresim suam palam profitetur ita ut constet ipsum sentire aliter ac Ecclesia docet; idque publice constet. Ut haereticus publicus sit, haec duo debent concurrere, haeresis interior eiusque exterior manifesta professio. Si enim ex errore quis profitetur quod haereticum est, putans id esse catholicum, ipse et haereticus non est et eius professio, si praesertim omnia adiuncta spectentur, est formaliter conformis magisterio Ecclesiae; significat enim (licet per accidens id identidem latere possit) se velle credere quod Ecclesia docet. De haereticis occultis iam disputavimus in §. IX. Negamus modo haereticos saltem publicos esse actu membra Ecclesiae. Sane 1) fac eos esse membra Ecclesiae: in hac hypothese Ecclesia erit societas eorum qui verum et falsum profitentur, et quia error multiplex est, veritas una, Ecclesia poterit esse societas cuius magna atque etiam maior pars errores licet diversos profiteatur: ideoque, hac admissa hypothese, non amplius verum erit fidem Ecclesiae esse unam, Ecclesiamque veram fidem profiteri, atque esse columnam et firmamentum veri-

tatis: hoc autem repugnat; ergo et ea hypothesis repugnat. 2) Huic hypothese quod haeretici scilicet manifeste adhuc membra sint Ecclesiae adversatur sensus universalis et constans ipsius Ecclesiae. « Dubitari non potest (ait S. Athanasius Orat. 4^a adv. Arianos) quin earum (omnium haeresum) auctores ex nobis exierint, sicut scripsit B. Ioannes: quandoquidem neque fuit unquam, neque nunc nobiscum est eorum doctrina. » Sane haeretici semper tales habiti sunt ut sint *antichristi* (1^a Ioann. II. 18) iidemque dicuntur esse *extra Ecclesiam* (Cyprian. epist. ad Iubaian.) eos esse *aperte foris* (August. de bapt. L. I, c. 17.): eorum *coetus non esse Ecclesiam* (Hieronym. cont. Lucifer.): eos *se habere ad Ecclesiam sicut ancilla ad uxorem* (August. ibid. c. 15. seq.): *cum iis non communicare Christianos quia eos atheos impios et exleges sciunt Christiani, haereticos non esse christianos* (Tertull. Praescrip. c. 37). Hinc qui converterentur dicebantur posse *recipi in Ecclesia, converti ad Ecclesiam, redire ad Ecclesiam, restitui Ecclesiae* (Conc. Nicaen. cc. 8. 19. Irenaeus L. III, c. 3. Tertullianus De Praescrip. ibid.). Specialisque modus statutus est quo redeuntes haeretici ad Ecclesiae communionem reciperentur, ut liquet ex Siricii epist. ad Himerium n. 2, et epistola Gregorii M. LXXII. L. XI. et epist. decret. Leonis ad Rusticum CLXVII. n. 18. Atque ipsi haeretici revertentes dicebant *se adiungere Ecclesiae Catholicae, se ad eam accedere ad communicandum cum ipsa* (Cf. subscriptiones quartodecimanorum relatas in Act. VI. Conc. Ephesini). Unde Augustinus Serm. CLXXXI reprehendens Pelagianos ait: « Si non vultis esse Ecclesiam nisi eam, quae sine macula et ruga est, cum rugis vestris et maculis praecidite vos a membris eius, praecidite vos a corpore eius, sed quid adhuc dicam ut se ab Ecclesia segregent, cum hoc iam fecerint? *haeretici enim sunt, foris sunt*: cum tota munditia sua foris remanserunt. Redite et audite: audite et credite. » Et Tertullianus Ecclesiam alloquentem haereticos inducit l. c. his verbis: « Quid in meo agitis, non mei? » Ex quibus omnibus liquet necti immediate haec duo *haereticum esse, esse foris, non esse Ecclesiae*, ipsi enim exeunt, ipsi foris remanent, ipsi se praecidunt a corpore; solaque haeresis mentione facta dicuntur ii esse extra Ecclesiam, negaturque eos esse Christianos.

Quod quidem Apostolus Ioannes in 1^a epist. II. 19. docuerat iniquiens de haereticis quod prodierunt, exierunt ἐξῆλθον ex nobis, h. e. ex nostro coetu; quod quidem Apostolus asserit generatim de iis qui *antichristi* h. e. haeretici evaserunt; hac enim conditione enunciata subdit statim: *ex nobis prodierunt*, qui etiam antequam exirent imperfecto modo ad coetum christianum spectabant (cf. §. XI).

Iam vero qui exit desinit prorsus esse intus; nemo enim est amplius ibi unde exivit. Vim autem vocis ἐξῆλθον eam esse ut exitum a societate et separationem significet, praeter Patrum interpretationem, ipsa appellatio *antichristi* facta exeuntibus, et oppositio cum statu praecedente, in quo neque tum erant ex nobis, demonstrat.

Quae vero Apostolus habet 2^a Tim. II. 20. *in magna nempe domo esse non solum vasa aurea et argentea, sed lignea et fictilia, et quaedam in honorem, quaedam in contumeliam*, non refertur ad id quod vv. 17. et 18. de notis haereticis Hymenaeo et Phileto dictum est, sed ad id quod immediate v. 19. praecedit: *cognovit Dominus qui sunt eius, et discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini*. In Ecclesia enim esse possunt qui non sint Domini electione scilicet secundum propositum et finaliter efficaci, qui operentur iniquitatem quo fiat aditus ad subversionem fidei: discedant proinde ab iniquitate qui invocant nomen Domini et sic haereticorum sermo eorum fidem non subvertet, quemadmodum in quibusdam fecerat Hymenaei et Phileti sermo serpens ut cancer.

Quaeres: cur ergo Ecclesia excommunicat haereticos, si iam sunt foris? Respondeo 1) nihil impedire, quominus Ecclesia positiva lege sanciat illud idem quod iure divino statutum est. 2) Excommunicationem habere quosdam effectus proprios, qui a lege Ecclesiae dependent, ut ex. g. privato commercii civilis et externi, publicorum suffragiorum, et huiusmodi.

Porro perperam prorsus affirmatur quod aetate apostolica haeretici censerentur esse membra Ecclesiae. Id quidem reiicitur etiam propter praeceptum ab Apostolo factum Tit. III. 10. Verum quidam id demonstrare volunt ex eo quod haeresis fuerit ea sententia quae doceret necessitatem servandae legis Moysis pro Christianis; eos tamen intra Ecclesiam recensitos fuisse ostendant Epistolae ad Galatas, Romanos, Hebraeos, quae in hoc errore insectando totae sunt. Verum distinguendum est inter Christianos ex gentibus et ex Iudaeis. Quoad priores in Concilio hierosolym. definitum est eos ea lege non teneri, et Apostolus scribens ad Galatas qui gentiles erant anathemate percellit eos qui docerent Galatas teneri lege Moysis. Ante Ecclesiae definitionem vero nulla erat haeresis formalis. Quoad Iudaeos autem docuerunt Apostoli usum legalium necessarium non esse, sed non prohibuerunt (nec enim in se, seposita prava intentione animi, malus erat), et ex quadam oeconomia tolerarunt; imo identidem ipsi apostoli usurparunt. Ex eo autem quod Apostoli scribentes ad fideles refellant sententiam asserentem non solum honestatem sed necessitatem legalium pro consequenda salute, nullo modo sequitur eos qui id docerent habitos fuisse ab Apostolis inter fideles.

Infirmus autem in fide, de quo Apostolus ad Romanos XIV, 1, non est qui fide caret, sed qui perfecta scientia fidei caret, unde conscientia erronea laborare potest. Huius proinde tanquam fratris rationem habendam esse praecipit Apostolus.

III. S. Thomas II. II. q. XXXIX, a. 1. docet quod « schismatici proprie dicuntur qui propria sponte et intentione se ab unitate Ecclesiae separant, quae est unitas principalis. » Scilicet unitas est quaedam partialis aliquorum membrorum corporis ad invicem; et unitas totalis membrorum omnium ad totum corpus, haec est unitas principalis. Ecclesiae autem unitas, ait idem S. Doctor, ex duobus pendet h. e. ex connexionione seu communicatione membrorum Ecclesiae ad invicem, et iterum ex ordine omnium membrorum Ecclesiae ad unum caput, quod est Christus, cuius vicem gerit in terris Summus Pontifex (quod modo supponimus ex Tract. seq. ut completa sit rei tractatio). Haec duo distinguenda sunt, quia ut iam indicavimus initio §. XXII. possunt plures uniri sub uno capite vel rege, quin sint una societas: quare praeter subordinationem uni capiti, debet haberi et coordinatio ad invicem. Quae coordinatio in hoc est posita, ut Caietanus ibid. explicat, ut singuli fideles singulique particulares coetus sint et agant ut partes totius, non ut aliquod totum ab aliis separatum; sed sint alter alterius membrum Rom. XII, 5. Ratio allata distinctionis horum duorum ostendit quidem posse uniri plures sub uno, quin uniantur inter se; ideoque haberi posse unitatem capitis sine unitate corporis: non vero exinde colligere licet posse plures uniri inter se quin uniantur in capite sive subiecto auctoritatis, quod in unitate monarchica est una persona; et in Ecclesia est Romanus Pontifex. Unitatis enim socialis Ecclesiae tum totius tum etiam cuiusvis particularis principium est caput ipsius, h. e. R. Pontifex (Tract. seq. Th. XII). Porro concludit S. Thomas « et ideo schismatici dicuntur qui subesse renuunt Summo Pontifici, et qui membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusant. »

Quaeritur autem cuiusmodi esse debeat 1) haec negatio subiectionis Summo Pontifici: et 2) recusatio communionis cum ceteris membris, ut schismaticus quis sit: et 3) utrum ad haec requiratur haeresis. Ad primam quaestionem respondet S. Thomas ibid. ad 2. nempe « quod non obedire praeceptis cum rebellionem quadam constituit schismatis rationem. Dico autem cum rebellionem, cum et pertinaciter Ecclesiae praecepta contemnit, et iudicium eius subire recusat. » Quam doctrinam S. Thomae sic enarrat Caietanus. Tripliciter recusari potest praeceptum vel iudicium Papae, primo ex parte rei iudicatae seu praeceptae, secundo ex parte personae iudicantis vel praecipientis, tertio ex parte officii ipsius. Primum fit cum quis non

vult obedire, aut exsequi quod mandavit Papa, quod quidem fieri potest retenta recognitione ipsius in superiorem, et retenta fide quod ipse sit superior. Alterum fit cum quis personam Papae suspectam habet (quod et rationabiliter fieri potest; quia possibile est Papam affectu minus recto duci, et in causis particularibus sententiam aut praeceptum non aequum ferre) paratus ad non suspectos iudices ab eo suscipiendos. Tertium fit cum quis Papae praeceptum vel iudicium ex parte sui officii recusat, non recognoscens eum ut superiorem. Porro, ait Caietanus, hic proprie schismaticus est. « Et iuxta hunc sensum intelligenda verba literae huius, et similium. Inobedientia enim quantumvis pertinax non constituit schisma nisi sit rebellio ad officium Papae vel Ecclesiae ita ut renuant illi subesse, illum recognoscere ut superiorem. »

Ad secundam quaestionem respondet idem Caietanus ibid. « Ex eo aliquis est schismaticus quod renuit ut pars Ecclesiae operari. Nec refert ex quacumque causa hoc oriatur: dummodo enim ad hoc deveniatur quod renuit se habere ut pars unius Ecclesiae catholicae, incurritur schisma. Ex quacumque siquidem diversitate vel sententiarum vel affectionum in tantum aliqui exorbitent ut velint sanctificare vel sanctificari, docere vel doceri, providere vel provideri, non ut pars Ecclesiae, sed tanquam ipsimet sint velut quoddam totum seorsum, schismatici sunt. »

Ad tertiam quaestionem quod spectat, sententia communis est, schisma per se spectatum posse esse sine haeresi; sive, spectata rei essentia, haeresim non esse elementum necessarium schismatis; quamvis ad factum quod attinet, schisma vel ab haeresi oriatur, vel eam gignat ut se tueatur. Ita Hieronymus in epist. ad Tit. III. « Inter haeresim et schisma hoc interesse arbitramur, quod haeresis perversum dogma habeat: schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet. Et schisma a principio aliqua in parte potest intelligi diversum ab haeresi: ceterum nullum schisma est, quod non sibi aliquam haeresim confingat, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur. » Et sane si sermo sit de schismate posito in eo quod quis membris Ecclesiae subiectis Papae recuset communicare velique agere separatim ab iis, distinguendi sunt tres actus: primus qui sit formaliter actus intellectus, quo quis non credat seu neget necessariam esse unionem cum membris, vel aliquid aliud contra Ecclesiam: secundus, quo quis nolit esse, nolit se gerere ut partem Ecclesiae, nullamque communionem habere cum Ecclesia Catholica: tertius quo quis peccet contra debitam caritatem socialem erga membra. Pariter quoad schisma ex rebellionem ortum adversus caput Ecclesiae, distinguendi sunt hi tres actus: primus, quo quis non credit

oportere subiici auctoritati Pontificis: alter, quo non vult ipsum esse superiorem suum, seu non vult recognoscere aut habere illum ut suum superiorem: tertius, quo in his et illis rebus detrectat obedire. Iam vero manifestum est quod secundus actus utriusque seriei is est in quo positum est schisma, licet per tertium manifestetur, qui tertius tamen per se solus schisma non esset: illius vero schismatici actus requiritur quidem in subiecto aliqua ratio determinans, sed haec non est necessario primus ille actus, sive haeresis; sed aliqua alia inordinata affectio ratio esse potest: contingit enim hominem male agere, manente iudicio intellectus quod ea actio non liceat: sed fit, quia placet. Unde Caietanus dixit schismaticum eum esse qui recusat Papae iudicium seu praeceptum ex parte officii sui, non recognoscens eum ut superiorem, « *quamvis hoc credat* »: scilicet per ea verba *non recognoscere* significatur actus non intellectus, sed voluntatis quae non vult habere ipsum ut superiorem.

Schismatis peccatum et interius tantum esse potest atque exterius etiam prodire, et per actus sensibiles se manifestare. Nos de schismatico manifesto loquimur nunc, non de eo tantum scilicet, qui animum schismaticum gerat, sed qui reapse schisma faciat, se subtrahendo a debita unione et subiectione. Plures vero possunt esse actus quibus huiusmodi schisma manifestetur et fiat.

Quaeri autem potest utrum schismaticus sit, qui ab Episcopo se separat. Si ita se separat ut ceterae Ecclesiae et praesertim Romano Pontifici adhuc adhaereat schismaticus vere non est: secus autem, si se separando ab Episcopo, communionem quoque totius Ecclesiae repudiat, vel subesse renuit Romano Pontifici.

His praestitatis manifestum est 1) schismaticos qui et haeretici sint, non esse actu membra Ecclesiae; patet ex iam dictis. Quaestio est de iis qui tantum schismatici sint. Nonnullos catholicos de hac re dubitare testatur Bellarminus (De Ecclesia L. III, c. 5) qui et refert Alfonso de Castro affirmantem eos esse in Ecclesia: cui addi potest et Suarez De Fide disp. IX. Sect. 1. n. 14. cuius ratio est tum quia schismaticus fidem retinet, tum quia denegatio obedientiae non est satis ut quis extra Ecclesiam constituatur. Verum si Ecclesiae sententiam constantem inquiramus, liquebit negandum esse quod schismatici actu sint membra Ecclesiae. Sane a) Pelagius I. id disertissime et data opera docet duplici in epistola (cf. fragmenta epistolarum eius a Luca Holstenio primum e tenebris vindicata Concill. Tom. V. pag. 805) quae et in decreto exstant 24. q. 1. cc. 33. 34. In his docet Pelagius schismaticos partem sibi fecisse, se segregasse ab eo quod unum est, se divisisse ab universali Ecclesia (c. 34), esse palmites abscissos a vite non aptos nisi ad ignem (c. 33). Ecclesiam

autem unam esse, in unitate scissuram esse non posse (cc. 33. 34): ideoque non communicare unitati eos qui schismaticis communicant (c. 34). Unde concludit: « Ad summam aut illos Ecclesiam esse creditis, et cum duae Ecclesiae esse non possint, nos, quod absit, schismaticos iudicabitis: aut si veram in apostolicis sedibus esse constat Ecclesiam, et illos ab unitate divisos cognoscite, et communionis quaestionem esse sublatam, quam veram nisi in unitate constat esse non posse. » b) Catechismus Romanus in explicatione articuli IX ait n. 9. tria tantum genera hominum ab Ecclesia excludi, primo infideles, deinde haereticos et schismaticos, postremo excommunicatos; et ethnicos quidem, quod in Ecclesia nunquam fuerunt.... haereticos vero et schismaticos, quia ab Ecclesia desciverunt; nec illos magis ad Ecclesiam spectare, quam transfugae ad exercitum pertineant, a quo defecerunt. Adverte et heic et a Pelagio schismaticos dici esse extra Ecclesiam non quia excommunicati sint, sed quia ipsi desciverunt: unde et distinguuntur ab excommunicatis. Rursus c) Ecclesia universa in Parasceve orat pro haereticis et schismaticis, ut eos Deus ad Ecclesiam Catholicam revocare dignetur; non ergo sunt in Ecclesia. Item in controversia de baptismo collato ab haereticis et schismaticis illud ab utraque parte supponebatur, haereticos et schismaticos esse extra Ecclesiam. Praeterea d) axioma est essentiali characterem Ecclesiae exhibens quod Cyprianus docet epist. LXVI ad Florentium Pupianum, inquit: « Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens: unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in Episcopo, et si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse. » Atqui schismatici, sive subesse nolint Romano Pontifici in quo tota Ecclesia est, sive communicare negent universae Ecclesiae, non sunt certe cum Episcopo: ergo. Hinc e) Augustinus de Fide et symbolo c. 10. schismaticos non secus ac haereticos negat ad Ecclesiam Catholicam pertinere; haereticos, quia Ecclesia diligit Deum, schismaticos, quia diligit proximum. Eisdem esse extra Ecclesiam docet quoque Fulgentius de Fide ad Petrum c. 39, eos connumerans cum Paganis, Iudaeis et haereticis. Optatus L. I. c. 11. advertit per schisma spargi coagulum pacis; et deserta matre Catholica impios filios foras exire. Pariter Chrysostomus hom. II. in epist. ad Ephesios affirmat schismaticos licet fide et dogmatis cum vera Christi Ecclesia consentiant, esse similes manui a corpore praecisae.

Ratio quoque petita ex ipsa Ecclesiae natura, qualem Scripturae nobis exhibent, idem evincit. Ecclesia enim est una unitate sociali ita ut sit unum corpus sub uno capite: ideoque singuli ad Ecclesiam spectantes sint membra de membro h. e. membra partialia sint alter